



## The Holy See

---

### IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAESI *QUIS MIHI*\*VENERABILI DEI SERVAE MARIAE A TRANSITU A IESU SACRAMENTATO

**BEATORUM HONORES DECERNUNTUR** Ad perpetuam rei memoriam. — « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater » (*Io* 12, 26). Haec verba, a Divino pronuntiata Magistro, penitus in animo Venerabilis Dei Servae Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato (in saec.: Mariae a Transitu Cabanillas) resonaverunt quae, studiose sancti Francisci spiritalem rationem in cotidiana vita sequens, Iesu Christo servire voluit. Praeclara haec spiritalis sancti Francisci Asinatis filia in Argentinae loco vulgo dicto «Carlos Paz », prope Cordubam, die XV mensis Augusti anno MDCCCXXI e fecunda et omnino christiana familia est orta. Adhuc iuvenis assidua fuit in precibus, in austeris vitae moribus, atque artam cum Christo Eucharistico coniunctionem nutrit. Alacrem exercuit navitatem in communitate paroeciali, potissimum in catechesi tradenda et in navanda opera pro spiritali pauperum progressionem. Anno MDCCCLVIII se ascripsit in Ordinem Franciscanum Saecularem. Animo in afflictorum ipsius Christi dolentis vultum percipiebat atque alacriter morbo cholerae aegrotantibus aderat. Consilio capto cum moderatore spiritali, consecratam vitam amplecti decrevit. Monasterium ingressa est Carmelitarum in urbe *Bonaërensi*, sed deinde communitatem Sororum Visitationis in Monte Visivo se rettulit. Adversam ob valetudinem in urbem natalem reversa est. Attamen, plurimis superatis difficultatibus, die VIII mensis Decembris anno MDCCCLXXVIII, ut Deus glorificaretur in opera pro spiritali pauperum bono atque in christiana iuvenum educatione, novam condidit religiosam familiam, Sorores scilicet Missionarias Franciscanas de Argentina. Serva Dei peculiare virtutes demonstravit atque in vitae variis angustiis versans, Infantem Iesum, Eucharistiam atque Virginem Sanctissimam studiose coluit. Munus moderatricis prudenter exercuit suis filiabus spiritalibus cotidianae vitae exemplum praebens. Ecclesiam Christi vehementer amavit singularique eminebat oboedientia erga ecclesiasticas auctoritates. Die II mensis Februarii anno MDCCCLXXX vota nuncupavit. Institutum a Serva Dei conditum celeriter auxit atque, sub patrocinio Fratrum Minorum susceptum, novum accepit spiritalem moderatorem, patrem Cyriacum Porreca. Ille precarias videns valetudinis condiciones Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato, munus moderatricis generalis ipsi abrogavit. Etiam hoc in rerum contextu Serva Dei omnes difficultates pro Christi amore libenti animo pertulit ad praemium aeternum cotidie diligenter aspirans. Cordubae, die XXV mensis Augusti anno MDCCCLXXXV, pie in Domino obdormivit haec sororibus suis dicens: «Nunc nihil possum, sed de caelo multa pro vobis faciam bona ». Sanctimoniae fama crebrescente post obitum Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato, anno MCMLXIX Processus Informativus est initiatus et anno MMCMLXXIV feliciter conclusus. Expletis diligenter legibus, Nobis adstantibus die XXVIII mensis Iunii anno MCMXCIX Servam hanc Dei virtutes theologales et cardinales atque adnexas heroum in modum factitavisse est pronuntiatum. Die VII mensis Iulii anno MMI prodiit super miraculo decretum quod eiusdem Venerabilis Servae intercessionem adsignatum erat. Decrevimus igitur ut beatificationis ritus Romae perageretur die XIV mensis Aprilis anno MMI. Hodie igitur in Petriano foro inter Missarum sollemnia hanc protulimus formulam: « Nos, vota Fratrum Nostrorum Michaelis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Iulii Sanguineti, Episcopi Brixiensis, Petri Cardinalis Rubiano Sáenz, Archiepiscopi Bogotensis,

Caroli Iosephi Nájñez, Archiepiscopi Cordubensis in Argentina, Marcelli Angeli Melani, Episcopi Neuqueniani et Administratoris Apostolici Viedmensis, et Romani Arrieta Villalobos, Archiepiscopi Sancti Iosephi in Costarica, nec non plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Caietanus Errico, Ludovicus Pavoni, Aloisius Variara, Maria a Transitu a Iesu Sacramentato, Artemides Zatti et Maria Romero Meneses Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Caietani Errico die vicesima nona Octobris, Ludovici Pavoni die vicesima octava Maii, Aloisii Variara die decima quinta Ianuarii, Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato die vicesima quinta Augusti, Artemidis Zatti die decima quinta Martii, et Mariae Romero Meneses die septima Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Aprilis, anno MMI, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo.De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card.

---

SODANO

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 6, pp. 387-389 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana